



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars Prima. De Iurisdictione Et Foro Competenti. Pars Secunda. De
Praeeminentiis & Praecedentiis

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XIX. Policastren. Exemptio concessa alicui Collegio sub proprio
Prælato habente jurisdictionem privativam ad quemcumque, An
suffragetur quoad clerum & populum castri, seu loci in aliena ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74087](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74087)

natio loci, cum istius approbatione ac successiva subjectione & correctione in præmissis; Atque ita milii videbatur veritas ob dictam rationem, non solum ab humano discursu, sed ab ipsa praxi & experientia comprobata, & cui innitur ultima Constitutio Alexand.7. desuper edita.

POLICASTREN.

PRO
EPISCOPO
CUM

COLLEGIO CAPPELLANORUM
CAPPELLÆ SIXTINÆ,
SEU AD PRÆSEPE.

*Causa disputationis in Sac. Congregatione Episcoporum
& Regularium, & implicitè decisus pro
Episcopo, cum remissione causa ad
Rotam.*

Exemptio concessa alicui Collegio sub proprio Prælato habente jurisdictionem privativam ad quemcumque, An suffragetur quoad clericum & populum castræ seu loci in aliena dioecesi, ad ipsum Collegium & Prælatum pertinentis. Et aliqua de jurisdictione Ordinarii in exemptos ratione turbatæ jurisdictionis.

S U M M A R I U M.

- 1 Acti series.
- 2 *F* Resolutiones in possessorio in his materiis jurisdictionibus important speciem totalis victoriae.
- 3 Exemptio personarum ac etiam bonorum quid importet quoad castra jurisdictionalia cum Vallis.
- 4 Exemptio non suffragatur pro turbata jurisdictione, sibi quam sit subditus judicis alias incomptentis.

D I S C. XIX.

I*lxvii* V. per ejus Constitutionem
38. Collegio per ipsum erector in cuius Capella præfeps in Basilica S. Mariæ Majoris, amplissimam concessit exemptionem à quorumcumque Diocesanorum, ac Ordinariorum jurisdictione & superioritate, ita ut personæ, res, & bona quæcumque, ac etiam servientes & ministri, ejusdem cappellæ Protectori privatiè subjacerent; Cumque, vel dicto Collegio vel cappellæ unitum esset Monasterium S. Joannis ad Pirum in hac dioecesi Policastren. quod in utili dominio & jurisdictione temporali possidet castrum sub eadem nuncupatione, in quo, eisque Ecclesiis, clero, & populo, Episcopus tanquam in reliquis ejus diocesis locis, jurisdictionem spiritualem, cum omnimoda lege dioecesana exercere consuevit, Quidam vero dicti Collegii Vicarius, ad prefatis Monasterii & castræ, aliorumque bonorum regimen & administrationem deputatus, se intrusus in exercito jurisdictionis spiritualis, curando etiam per clericum & populum, subjectionem

Card. de Luca de juriſdičt. & foro compet.

ac obedientiam denegari Episcopo, Hinc proinde Episcopus vel ejus Vicarius eum carceravit, & causam super manutentione sue jurisdictionis ex remedio jaſtationum committi curavit in Rota, Unde ex parte Collegii adita fuit Sac. Congregatio Episcoporum & Regularium super ejus privilegiorum violatione, tam circa dicti Vicarii carcerationem, quam circa jurisdictionem spiritualem, Atque post binam disputationem prodit resolutio, per quam, demandata dicti Vicarii excarceratione, causa jurisdictionalis remissa fuit ad Rotam, quod milii scribenti pro Episcopo, visum est importasse omnimodam victoriam, cum ex parte Collegii præterderetur, ne dum manutentione in jurisdictione, quam sibi ex dicto privilegio Apostolico competere asserebat, sed etiam quod positiva declaratio fieret super indebita carceratione, cum punitione Episcopi & ministrorum ob violata privilegia, ac etiam refectio damnorum & interesse, quorum neutrum obtinuit.

Siquidem quoad excarcerationem, illa videbatur de congruo demandanda, posita etiam Episcopi competencia, ob longam carcerationem, quæ loco sufficientis pœna recte cedere debuit; Et quoad remissionem causæ ad Rotam, id in locorum Ordinariis in possessione hujusmodi exercitiū existentibus, totalem victoriam importare videtur, quoniam cessante privilegio Apostolico claro super territorio separato, & qualitate Nullius, quoties id prætenditur ex præscriptione immemorabili, ista indiget canonizatione trium conformium in petitorio, & interim Episcopus manutenetur, juxta receptam praxim, tam Sac. Congregationis Concilii, quam hujus Episcoporum, ac etiam Rotæ, ut in *Toletan. Vulturien. Anglonen. Apri-*
tan. ac tot aliis, de quibus suprà, unde hoc possessorum de facto, & ex frequenti experimento sapere videtur victoriam totalem.

In hujusmodi autem disputationibus, ut supra habitis in Sac. Congregatione, duo erant puncta, Unus super indebita carceratione dicti Vicarii, absque dubio exempti ab Episcopi jurisdictione, ob amplissimam exemptionem in dicta Constitutione Sixtina contentam, Et alter super activa jurisdictione spirituali in clericum, & populum dicti castræ.

Super hoc secundo, quamvis scribentes pro Collegio insisterent super amplitudine dictæ exemptionis concessæ, necnon personis servientibus, & ministris ipsius Collegii, & Cappellæ, sed etiam bonis & rebus, exinde inferendo, quod cum caltrum esset de rebus & bonis Collegii, seu cappellæ, cadebat etiam sub exemptione, ac respectivè sub privativa jurisdictione Cardinalis Protectoris; Nihilominus, cum sensu etiam veritatis, dicebam prorsus improbabilem videri hujusmodi prætensionem, quoniam in ordine ad exemptionem personarum, juxta ea, quæ habentur in dicta *Toletana* disc. i. ac in *Maceraten.* & aliis, intelligitur quoad illas ipsius Monasterii, seu cappellæ, ita ut sit jurisdictione in personas absque territorio, juxta privilegium Almae Domus Lauretanæ, de quo infra in Lauretanæ disc. 33, ac etiam illud Ecclesiæ Nazarenæ, de quo disc. seq. Quoverò ad exemptionem bonorum & rerum, in qua magis insisteatur, exaggerando quod alias privilegium non remaneret verificabile respectu illius caltri, cum axiomatibus tamen & regulis generalibus, nullas deducendo autoritates, quæ percuterent hos terminos; Dicebam, eamdem exemptionem cum privativa jurisdictione Cardinalis Protectoris, recte suffragari, ac opera-

E 2 tivam

tivam remanere, in casu quo prætendentes jus habere in eadem castro, ejusque bonis & pertinentiis, vellent ipsum Collegium convenire coram loci Ordinario, vel alio judge, cuius jurisdictionem in vim hujusmodi privilegii recte declinare possent, nisi ageretur de questione feudali, seu de interpretatione jurisdictionis temporalis à Rege in feudum concessa, juxta terminos text. in cap. ex transmissa, & cap. seq. de foro compet. Non inde tamen inferri poterat ad concessionem jurisdictionis spiritualis, & quasi Episcopalis activa in ejusdem castri clerum, & populum, cum ex saepius enunciatis, istæ dicantur oves habentes in pastorem Episcopum, in cuius diœcesi & territorio vivunt, nisi per Papam, prævia separatione hujus partis territorii, in eo alter pastor deputetur.

Ita etiam docente totius Catholicæ Orbis observantia, quoniam tam Basilicæ Patriarchæ Urbis, quam Sac. Religio Hierosolymitana, ac ferè omnes aliae Religiones, & Monasteria, habent hujusmodi privilegia exemptiva, tam in personis, quam in bonis, & rebus, & tamen quoad castra, quæ possident in dominio temporali, non exinde infertur ad hauc jurisdictionem spiritualem acti-
vam, nisi probato territorio separato per privilegium Apostolicum illud decernens, vel per immemorabilem canonizatam per tres conformes ut supra. Vel saltem, nisi probata legitima præscriptio-
ne quoad actus particulares, juxta terminos text.
in cap. anditis de præscript. ut frequenter in præ-
dictibus præsertim dicto dicitur.

Quoverò ad competentiam jurisdictionis pro-
cedendi ad carcerationem dicti Vicarii, non im-
pugnabam, scribens pro Episcopo, incompeten-
tiā in genere, cum esset dupliciter exemptus, quia
de corpore ejusdem Collegii, ac ejus minister; Di-
cebam tamen, etiam cum sensu veritatis, hujusmo-
di exemptione non obstante, illum potuisse licet
carcerari, utpote effectum subditum Episcopi, &
de ejus foro, ob ejus jurisdictionem rurbatam, cum
non detur exemptio, sive de jure, sive ex privile-
gio, quæ ab hujusmodi competentia præserverat ad
text. in cap. i. de off. delegati, & cap. tam litteris de
trifibis, cum concordan. latè deductis per Farin.
quasi. 11. 4. num. 67. cum sequen. & cons. 134. num. 4. &
5. volum 2. ubi de familiari cuiusdam Cardinalis,
Atque solùm per canonistas & Ecclesiasticos, id
limitari solet ratione omnimoda incompetentiæ,
tam acti, quam habitu, ut est illa judicis secularis
in clericos, Et habetur infra in alia Auglonen. &
alibi hoc eodem titulo.

NAZARENA, SEU TRANEN. JURISDICTIONIS PRO ARCHIEPISCOPO NAZARENO CVM ARCHIEPISCOPO TRANEN.

*Casus disputatus in Sac. Congregatione Episcorum
& Regularium, & resolutus ut infra.*

*Concessa per Sedem Apostolicam Episcopo
in partibus infidelium, vel hereticorum,*

seu alias impedito residere in propria
diœcesi, Ecclesia intrà limites alienæ
diœcesis pro ejus residentia, cum juris-
dictione ordinaria, & Episcopali in cler-
icos, aliosque illius Ecclesiae inservientes,
& ministros; An hic Episcopus confide-
retur tanquam inferior Prælatus Ecclesie
exemptæ in aliena diœcesi, vel potius
tanquam Episcopus, & Ordinarius, tam
Ecclesie tanquam de territorio separa-
to, quam personarum, in utraque jurisdi-
ctione ordinaria & delegata.

Et posito quod censeatur juxta hanc secun-
dam partem, An in loco, in quo Ecclesia
sita est, exercere possit jurisdictionem
cum suis subditis, eos carcerando, sive ci-
tando per edicta in locis publicis absque
licentia Diœcesani, seu Ordinarii loci.
Nec non licentiam concedere possit præ-
dicandi in dicta Ecclesia independenter
ab Ordinario loci.

Et an confessarii per eum approbati ad audiendas confessiones, aliaque sacramen-
ta ministranda in ipsa Ecclesia, admini-
strare possint sacramenta populo ejus-
dem loci, vel diœcesis, ac absolvere à ca-
sibus reservatis per Diœcesanum.

Et an Diœcesanus, seu Ordinarius, justè pe-
tere valeat præfinitionem certi numeri
clericorum, & ministrorum pro servitio
Episcopi exteri, ejusque Ecclesia.

S V M M A R I U M.

- 1 **D**e erectione Archiepiscopatus Nazareni,
& collatione dictæ Sedis in Apulia.
- 2 **D**e unione Ecclesiarum Montis Viridis,
& Cannarum.
- 3 **D**e jure nundinarum concessio eidem Ecclesia, & an
accidentes ad dicti nundinas teneantur ad pe-
dagia remissive.
- 4 **H**ic Archiepiscopus defert crucem, & mozzettam
per totum Orbem.
- 5 Recensentur capita controversiarum.
- 6 **D**e resolutionibus super controversias & dubiis.
- 7 **H**istoricis quando sit deferendum.
- 8 **I**n jure non reperitur præsumptus numerus clericorum
orationis, vel Ecclesia servitio præ-
ciendorum.
- 9 **D**e Ecclesiis non numeratis, & receptitiis, & an
cerius numerus præsumiri possit.
- 10 Arbitrium circa ordinationes clericorum discre-
tè exercendum est, ac alias Sac. Congregatio so-
let inhibere novas ordinationes.
- 11 **D**e Episcopo Peculiano habente Ecclesiam in Civita-
te Florentia.
- 12 **D**e Ecclesia S. Nicolani Barii.
- 13 Per consuetudinem, vel præscriptionem acquiri
potest jurisdictione in alieno territorio.
- 14 Distinguuntur plures casus, in quibus exerceatur
jurisdictione in alieno territorio.
- 15 An subditus à proprio judge, & superiore citatus
extra territorium teneatur comparere, atque
alias contumaciam repudari possit.
- 16 An iudex laicus possit citare ejus subditum in Ec-
clesia, vel loco immuni.

17 De